SOLLEMNIA ACADEMICA

AD

MEDICINÆ DOCTOREM

RITE INAUGURANDUM

ET ALTERUM, QUI ABEST,

RENUNTIANDUM

HABENDA INDICIT

UNIVERSITATIS REGIÆ HAUNIENSIS

R E C T O R

JANUS MÖLLER,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORDIN., ORD. DANEBROG. EQUES,

CUM

SENATU ACADEMICO.



HAUNIÆ MDCCCXXXII.

Inest D. IO. NIC. MADVIGII, Prof. Litt. Lat. Extraord., de locis aliquot Ciceronis orationum Verrinarum dissertationis criticæ pars prior.

Typis excudit Director *Janus Hostrup Schultz*,
Aulæ et Universitatis Typographus.

32

Menda librariorum ex veterum scriptis tollere per Academicæ scriptionis opportunitatem et antea studui et nunc idem facere ingredior et sæpius, opinor, posthac idem scribendi argumentum sumam. Est enim eiusmodi, quod particulatim tractari possit factaque intermissione statis temporibus repeti; et quum multa mihi huius generis materia ex frequenti veterum monumentorum tractatione collecta sit et subinde crescat, nulla est commodior via eam sine ulla alienorum admixtione ad usum eorum, qui in iisdem monumentis occupantur, promendi, quam hæc secundum scriptores et libros, ad quos pertinet, disposita per quandam seriem explicatio, mihi præsertim, qui ab editionibus veterum scriptorum curandis voluntate studiisqve alienus sim et ab externo eius rei instrumento remotus nec quidquam minus probandum in literis philologicis putem, quam editionum, quæ singulæ exigui aliquid proprii habere videantur, incônsideratam multiplicationem. Omnino sedula quadam et late fusa eadem ac desultoria et inani, ut ita dicam, velitatione critica minime delector, cui ne immiscear, ita vitabo, ut etiam vitio mihi dari facile passurus sim, quod eius hic illic nullam rationem habuerim. Nec libet hoc loco exquirere, quam rem his ipsis diebus attigi nostro sermone, quantum parum enucleatæ quædam opiniones et declamatorie exornatæ de dignitate et vi antiquarum literarum in nostræ ætatis vita et literis earumque in scholis loco, in quas etiam nonnulli, quasi nihil nimium esse possit in salutari, ut loquuntur, veterum exemplarium tractatione, criticam inferunt, hoc est, exercitationem de rebus parum perspectis iudicandi, et inde orta prava quædam studiorum ad an-

tiquitatem applicatio, animo nondum de rebus, quæ nunc sunt, de linguis earumque legibus et usu, de literis naturaliter et libere iudicare assueto et inde ad aliorum temporum communis naturæ diversam formam aciem transferre, quantum, inquam, hæc impediant, ne perspiciatur, quod sit proprium philologi munus, quid, quatenus philologus sit, præstare possit et debeat, idque ipsum sobrie ac prudenter minusque diffuse agatur.

Hoc tempore quasi spicas colligere decrevi et ad opus aliquod, in cuius emendatione nuper magna facta est progressio, emendationis supplementa conferre; nam Verrinarum Ciceronis orationum locos aliquot expolire in animo est, quas orationes C. T. Zumptius, vir doctissimus, ita recensuit, ut eandem auctoritatem eandemque rationem sequeretur, quam ipse probavi (in epist. ad Orellium et in disputatione crit. de Asconio Pediano a. 1828 editis), sed et multo maiore uteretur apparatu et, quod ego tantum in extremis libris accuratius in præcipuis locis persequi potui, quia in reliquis instrumentum criticum deficiebat, ad priores quoque et ad omnem textum transferret [1]).

1) Nitebar ego una collatione codicis Parisiensis ab ignoto homine facta et iis, quæ alii parum diligenter ex similibus codicibus enotaverant. Eum codicem, quem omnium, qui accurate collati sunt, principem esse vel exitus extremi libri ostendit, Zumptius (p. XVIII et XXII) eum esse putat, qui nunc in bibliotheca regia Par. num. 7774 A notatur, idemque suspicatus est amicus meus, Krarup, qui huius ipsius codicis collationem a se factam mecum communicavit; assensum in coniectura tam probabili, ut ultro se offerat, retinet et dubium facit, quod non solum Krarup nonnulla notavit, quæ in altera collatione non sunt, sed in hac quoque sunt nonnulla, quæ apud Krarupium non sunt, cuius summam diligentiam satis novi, aliquot autem locis diversæ notatæ sunt scripturæ. Pleræque quidem discrepantiæ levissimæ sunt, ut perspicitur exemplo duorum capitum; nam IV, 1, 1 pro *textilem fuisse* in coll. Haun. est *textili*, in Krar. item *textili*, verum verbi omissio (quod in textu editionis conferendi causa adhibitæ exstat) non notatur; ibd. pro *accusatorie loqui* Kr. e Par. *accusatoria eloqui* et c. 2, 3 *illa in civitate* pro *in illa civ.*, coll. Haun. nihil notante; § 4 coll. Haun. *ingenuosum et*, *Praxitele* (etsi dubio literæ ductu), *artificum*, *atque ille*, Kr. *ingenuosum atque*, *Praxiteli*, *artificium*, *atque illa est*. Ex proximis capitibus præter literularum aberrationes hæc sunt: 3, 5 coll. Haun. *ac basilicas*, Krar. *et bas.*, 4, 8 Haun. *dii*, Kr. *o di*, 5, 10 Haun. *non licet erant*, Kr. *non liceret*, 6, 12 Haun. *fuerit*, Kr. *fuit*, ibd. Haun. *vendita sed rettulit*, Kr. *vendita*.

In quo negotio quum suis iam compositis et pæne typographo traditis mea quoque compararet, suis plerumque consentanea, in paucissimis locis dissentiens, tamen, nescio quo casu, in uno et altero loco etiam ex iis, qui in epistola maturius ad eum allata tractati sunt, eorum, quæ a me exposita erant, rationem non habuit, quum tamen neque dissensum significaret neque, ut opinor, dissentiret in omnibus certe; nimis enim est in nonnullis perspicua res, in uno quidem loco, etiamsi nemo de ea re dixisset, tamen editori aliquid erat adnotandum. Nam in libr. V, 16, 40 pro eo, quod scriptum erat *responsum nullum dedisti*, scribendum esse *responsum dedisti* quamquam iis argumentis evici (epist. ad Orell. p. 41), ut contra dici vix queat (et obsecutus est Orellius in editione singulari libri quinti), tamen, si dessensit Zumptius, casu factum esse debet, ut hanc codicis eius familiæ, quam sequitur, præstantissimi et Leidensis memorabilem scripturam omnino non adnotaret, quam ego vix inducor quin in Guelferbytanis quoque codicibus eum reperturum fuisse credam, certe in altero eorum. Nec dubitare possum, quin Zumptius, nisi casu admonitionem neglexisset, intellecturus fuerit, in libr. IV, 64, 143 transpositione Victoriana contra omnes codd. facta *quem ne nudus quidem filius* (pro *ne quem nudus quidem filius*), quam reliquos editores sequens certissimam coniecturam appellat, prorsus everti et orationis formam et sententiam, quod et Garatonius sensit et ego demonstravi in ep. ad Orell. p. 56.[1]) In primi quidem libri c. 57, 149, quem locum rectiore interpunctione sine ullius literulæ mutatione expedivi in ep. ad Orell. p. 89, quum contrarium prorsus menti Ciceronis sensum in editionibus habeat, Lambini correctionem, quo

1) Argumentum brevissime absolvi potest. Pro eo, quod est: *ne filii quidem nudi conspectus quemquam movet*, si quis circumlocutione utitur (*nemo est, quem — moveat*) et negationis duplicatione Latina, ut priorem excipiat et intendat altera *ne — quidem*, necessario *ne* præponi debet circumlocutioni per relativum factæ, *nemo est*, *ne quem filii quidem consp. moveat.*

idem incommodum a reliquis non animadversum tollere volebat, Zumptius ita reiecit, ut sententiam ne eum quidem perspexisse pateat. Testes dicit esse et accusatoris et rei. At rei sunt testes, qui ab eo pro sua caussa producuntur; qui igitur dici potest, nihilo *apertiorem* fore fraudem, etiamsi *reus* uno minus teste ad se defendendum utatur? nec Habonio teste Verres usus est, sed eius silentium, ne a Cicerone produceretur, emit; nam *uno minus teste habere* (reum) non esse *uno minus teste* contra se *habere* (quod ne dicitur quidem usitate), *uno minus teste coargui*, Zumptius certe, qua est sermonis Latini peritia, non putavit [1]). Similem casum non possum non suspicari accidisse in libr. V, 5, 11 (vid. ep. ad Orell. p. 89) et III, 28, 69 (ibd. p. 91), quorum locorum alterum de coniectura mutavit, obstante etiam Vaticani cod. nova auctoritate et usu sermonis; nam *quam rem* ita adiungitur, ac si formula sit *adversus edictum facere aliquid*, quum dicatur absolute *adversus edictum facere*, ut addi debeat, quemadmodum est in codd., aut ablativus aut præpositio. Ex iis, quæ in Asconianis nostris serius ad eum perlatis de locis aliquot librorum primorum disputata sunt, quum iis abstineret, quæ a sua ratione et iudicio de subsidiis criticis discreparent aut novam disputationem requirerent, tamen, quoniam nonnulla excerpsit, nescio cur alia etiam in appendice omiserit, quæ ad ipsius adnotationem confirmandam aut supplendam aut corrigendam pertinebant. Velut quod Lib. I, 15, 39 pro *non modo non existit* coniecturam

---

1) In transcursu Arusiani Messi Grammatici locus emendandus est, qui in edit. Lindemanni (Corp. Gramm. Lat. I) p. 248 ita scribitur: "Mille librarum mutuo dedit. Terent. Heaut: *Cui drachmarum hæc argenti mille dederat mutuo.* Cic. de Prætur. Urban.: *Verris et uno minus teste haberet ab homo.*" Ciceronis locum, quem non invenerunt, patet hunc esse, quo de agimus, verum ad illam elocutionem, cuius exemplum ponitur, non pertinere. Sed in cod. Guelf. ante est: *hæc argenti minus habet uno.* Coaluit duplex elocutio: altera cum exemplo suo hæc est: Minus habet uno. Cic. de Prætur. urban. Verris: *Ut uno minus teste haberet Habonio.* (Hæc nominis forma et hinc confirmatur et ex Asconii edit. principe ad I, 54, 141)

suam secutus vere edidit *non modo existit*, eandem ego emendationem coniectura a me repertam in disputat. de Ascon. p. 45 not. ostendi confirmari a prima et incorrupta Asconii editioni, cui auctoritati iam addo Augustini, qui hunc locum recte scriptum citat de Civ. Dei lib. 19, 5, tantum quod ibi est *non solum;* et quod ad Lib. I, 47, 122 recte eodem, quo ego p. 116, modo M. Palicanum (quem frustra et contra nummos codicesque Quintiliani Lollium fuisse negavi) a. 683, non 682, tribunum fuisse ostendit, ego præterea (p. 117) non hunc sed alium illo loco significari dixi, ubi sine dubio res a. 680 gesta, Verre prætore urb., commemoretur; quam suspicionem iam confirmat ab ipso Zumptio in appendice posita scriptura codicis palimpsesti Vatic., ex antiquissima adnotatione post *tribunus plebis* addentis *Quintius;* is est L. Quintius, cuius in illum ipsum annum tribunatus vehemens et popularis incidit, notissimus ex oratione Cluentiana. Verum hoc totum leve est, nisi quod moleste fero, quum tot bona illa editio habeat, desiderari aliquid, quod ad eius absolutionem ipse editor mihi additurus fuisse videatur, nisi aut casus aut descriptionem institutam turbandi metus obstitisset, supplementaque aliunde petenda esse, etiamsi a me ipso petantur. Sed sunt alia quædam, de quibus in his prioribus libris a Zumptio universe dissentio (priores dico Divinat., Act. I, Act. II. lib. I; nam in mediis II et III paucissima addere possum), ex quo factum est, ut, licet hic quoque in multis ex iis locis, quos attigeram, eandem, quam ego probaram, rationem sequeretur, tamen sæpius diversam teneret, tum alios quoque nonnullos locos aliter, atque oportuisse credo, tractaret [1]).

---

1) Uno quidem loco non tam dissensit, quam minus firme veritatem inventam tenuit, I, 50, 130, ubi, quod ego dixi (de Asconio p. 102 not.) verba aliquot excidisse, ipse pæne suspicatur, nisi *verumtamen* sit semet ipsum post orationis interruptionem revocantis. Atque aliter sane intelligi illa particula non debet; sed orationem, ut nunc legitur, non esse interruptam nec quidquam alieni interpositum nemo non videt, et hoc est ipsum indicium lacunæ. Nam ne quis credat Ciceronem figurate rem aliquam illis solis verbis

De hac re generatim hic exponere visum est, etsi necessario frequenter in ea incurram, quæ singulatim antea dixi, unamque et alteram præterea emendationem proponere. Primum igitur Zumptius auctoritatem codicum Ciceronianorum auctoritati veterum grammaticorum anteposuit (cfr. ad Divinat. 19, 62), iure quidem, quatenus de ipsis horum codicibus parum interdum constat et de citandi diligentia; sed in ea re paulo longius progressus, nimis in aliquot locis illam auctoritatem sprevit. Ostendi iam, lectionem coniectura excogitatam (I, 15, 39) Asconii (qui dicitur) et Augustini auctoritate firmari; alibi (Act. I, 6, 16, Lib. I, 33, 83 &c.) ipse Zumptius Asconii auctoritatem codicibus præposuit; similiter codicum lectionibus præstare scripturam apud Grammaticos repertam evincit nunc cum his faciens codex Vaticanus in libr. I, 47, 123 (*iste* pro *is*) et 48, 125 (*in eas hereditates* pro *ad eas*) et 52, 138 (ex quo loco præter Priscianum etiam Pompeius Gramm. *inhumaniter* citat), idemque lib. I, 42, 109 prorsus eam scripturam confirmat, quam in disput. de Ascon. p. 46 not. ex Asconii editione sumendam dixi, quacum in verborum ordine, quod caput hoc loco est, consentiunt Priscianus, Stephanus, Lambinus, codicesque, ni fallor, Guelferb. prior et Leidensis; cur necessaria sit, ibi dixi; in Zumptii lectione, quam miror etiam cognita Vaticani scriptura eum probasse, languidissima est generalis affirmatio et falsa; nam debebant omnes ante acta rata esse pati, non pati omnes, Verris scelus exemplo erat. Itaque nondum abiicio in libr. I, 56, 147 scripturam Asconii *manupretii machina*, etsi a Vaticano non confirmatam, quam Zumptius, ut Orellius, improbavit, quod in corruptis Asconii editionibus *machinæ* legi videbat, unius autem machinæ mentionem loci sensum postulare. Mihi quidem genitivus prorsus necessarius videtur ad structuram post illa *tan-*

---

ut ex — cognovistis significasse et tum, quasi commemorare nollet, omisisse, nec ulla sufficiens significatio est in iis verbis et eius figuræ aliæ sunt formæ et *verumtamen* postulat, ut aliquid coeperit dicere, ad quod redeat.

tum operis, quantum operæ mercedis tulerunt, interiecta particula *et*, nominativus plane non procedere; genitivi a vocabulo regenti disiuncti facilis erat corruptio [1]). In divinat. denique c. 14, 46 ut nihil mutandum fuerit contra codd., præsertim in insolenti structura orationis, tamen tantum aberat, ut dubium esse deberet, quin aliter vetus enarrator legisset, cuius veram scripturam (*orationi*, ut est in ed. I, non *orationis invidiæ*, ut ex Ciceronis contextu interpolarunt,) Grævius ex suo apographo adnotavit, ut pro certissimo ponendum esset, grammaticorum veterum ætate vulgo in codicibus fuisse *orationi*. Nam sic præter Nonium, quem alii citant, Zumptius negligit, legit etiam Arusianus Messus (259 Lindem.; mendose scribitur *Poteris eis oratione subire*, sed lemma est: *Subeo illi rei*); ac video, quid dici possit; *invidiam orationis* (ut alibi *foederis Numantini*) esse eam, quae ex oratione invidiosa in ipsum oratorem excitetur; eam

---

1) Paulo ante sententiam illam *Lapis aliqui cædendus et apportandus fuit machina sua* Zumptius non recte adversus Ernestium tuetur, difficultate non satis animadversa nec vi verborum perspecta. *Lapidem cædere* non esse lapidem veterem loco detractum leviter expolire et reponere, ostendit sane usus loquendi et lapicidinæ vocabulum; nec is lapis, qui iam in loco erat, *apportandus* sed reponendus erat. Itaque prorsus contrarium dicitur, ac dici debet, rectumque esset, si ironice dixisset *Lapis aliquis, credo*, &c., non subiecto *nam*. Atque aut huiusmodi sententiam ironicam aut interrogationem, fueritne aliquid veri operis faciendum, aperte postulant priora ex cod. Vaticano suppleta: *Hoc opus bonum suo cuique facito. Quid est suo cuique?* Nam qui hæc quattuor verba subdititia putet ac non potius necessaria ex Ciceronis more verbis edictorum tabularumve huiusmodi particulatim propositis interrogationem de sensu observationemque aliquam adnectendi, neminem fore opinor; qui exciderint in reliquis codd., (meliores hoc loco deficiunt omnes,) patet. Sed Ernestii ratio ferri nequit; Orellii distinctio antea dura videbatur; nunc, cognita Vaticani scriptura, *machina sua* in illa distinctione ablativo casu accipio, ut ridicule respondeatur illi interrogationi, quid sit *suo cuique*. Illud Vaticani codicis supplementum nescio quo casu Zumptius prorsus oblitus est in appendice commemorare; similis præstantiæ, quod Zumptius vidit, et ad orationis integritatem necessitatis alterum habet III, 29, 70 *Si damnatus erit, atque adeo cum damnatus erit (nam dubitatio damnationis illis recuperatoribus quæ poterat esse?)* Cfr. pro Rosc. Amer. 35, 100.

subire esse audere id dicere, quod invidiam habeat. Dicetur contra, locutionem esse ambiguam; grammaticos (nec id non alibi fecerunt) ex levi mendo, omissione literæ *s* ante alteram *s*, inducta falsa interpunctione figuram syntacticam finxisse. Altera est et latius patens a Zumptio de compluribus locis dissentiendi causa, quod is inter codices melioris familiæ in his primis libris principatum detulit priori ex Guelferbytanis, quem equidem, etsi est altero paulo antiquior et minus mendose et imperite descriptus, tamen in hac parte aliquot locis iam interpolati et mutati eodem modo, quo longe frequentius in deteriore codicum familia factum est, exemplaris aut interpolantis et mutantis librarii indicia aperta habere iudico; ex quo factum est, ut nec aliis libris in interpolationibus aliquot tollendis obsequeretur et nonnulla ex illo codice iniuria in textum inferret. Neque enim is ei visus est codex, in quem interpolationis suspicio caderet (ad Act. I, 2, 5). In eum errorem aliqua ex parte incidisse videtur, quod antiquitatis externa specie captus ab initio diligentius priorem adhibuerit, ita ut aliquot locorum a se probatas scripturas non minus in altero exstare postea demum animadverterit (vid. App. ad Div. 1, 1; 2, 4; 13, 41; Act. I, 10, 32; Lib. I, 6, 15; I, 38, 98; contra menda, quæ non putarat, in priore quoque esse deprehendit Div. 13, 42; Lib. I, 25, 65). Sed ipsa res demonstranda est comparatione facta, in qua Vaticani codicis nullæ sunt partes, ut cuius fragmenta ab eo ipso loco incipiant, ubi deficit Guelferbytanus prior. Nihil dicam de minutis quibusdam eius mendis, quæ e corrigendi et explicandi studio orta videntur, quale est, quod Act. I, 5, 13 pro *indicta causa* habet *inaudita causa*, et Lib. I, 36, 91 asyndeton in narrationis celeritate aptissimum *(reliqua vendidit, pecuniam exegit)* tollit, *et* interposito. Magis patet res in Divinat. 21, 70, ubi pro *ægrotæ ac prope desperatæ rei publicæ*, quod a Guelf. 1 confirmatur, codd. Leid. et Guelf. 2 *ægrotanti* habent (alter quidem mendose *ægrotante*), quorum vocabulorum utrum vulgarius et correctioni propter sequens *desperatæ* si-

milius sit, vix dubitari potest; sed sunt alii loci apertiores. Nam quod Act. I, 2, 5 Zumptius ex illo codice edidit: *Quod si, quam audax est ad conandum, tam esset astutus in agendo*, quum in reliquis et bonis et deterioribus esset *obscurus in agendo*, si auctoritate, de qua quæritur, seposita ipsam rem contemplamur, non potest dubium esse, quin, si *astutus* librarii reperissent, vulgatissimum vocabulum, non mutaturi fuerint in id, quod de homine tecto raro nec tamen non recte dicitur (de Offic. III, 13, 57, ex quo loco facile patet de occultis malitiæ artibus dici), contra huic facile aliquis alterum substituere potuerit. Quem autem unum locum Zumptius hic singularis huius codicis integritatis testem dat, quæ multò erat pluribus indiciis indubiis demonstranda, Divin. c. 17, 56, in eo et codex Leidensis nuper a Bakio diligentius collatus (post J. G. Sluiteri Specimen Acad. in M. Tullii Cic. Divinat. in Cæc. Lugd. Bat. 1832), quod Zumptius ignorabat, et Paris. D. et Guelf. 2, id est, excepto Stephaniano, si is a Par. D. diversus est, omnes, quibuscum Guelf. priori contentio est, eandem habent scripturam; nam quod Guelf. 2 (non Leid. nec Paris. nisi in nota margin.) per διττογραφίαν vulgatam adiunctam habet, id in Guelf. 1 convertitur statim 18, 58, ubi, quod Zumptius iure præfert *denique*, in Gu. 2 et cod. Steph. (et duobus aliis) est, in Gu. 1 *denique vel deinde*, addita vulgata scriptura. Restat unus locus, in quo sine additamento a ceteris codd. Guelf. 1 discedat paulo notabilius, Lib. I, 39, 100, ubi Zumptius ex eo edidit *homo callidissimus*, ceteri omnes habent *homo castissimus;* sustulit igitur ironiam aptissimam, qua orator secundum Verris tabulas litis æstimationem factam ridet, substituta mentione calliditatis, quæ nulla esse poterat, quum simpliciter in tabulis mentiretur. At integritatis, non castitatis mentio fieri debebat. Scilicet castitatis nomen late patet de animo omni labe cupiditatis et periurii et fraudis libero, ut pro Rosc. Comoed. 7, 21 *periurum castus fraudasse dicitur*, et pro Font. 10, 22 *vestræ mentes tam castæ, tam integræ*, et de Invent. II, 11, 36 *eam*

causam putare, quæ homines audaces in fraudem rapere soleat, castissimum quoque hominem ad peccandum potuisse impellere, quodque maxime huc pertinet, pro Flacc. 28, 68 *castissimum hominem atque integerrimum.* Itaque religio et sanctitas Verris laudatur, ob quam testimonio creditum sit [1]). Parum certa in his locis codicis auctoritas multo minus iis firmatur, in quibus addit aliquid, quod in ceteris non est. Horum additamentorum levissimum est, sed manifestum, in Divin. 3, 8, ubi vulgo scribitur: *id iam populare atque plausibile factum est*, melioris familiæ codd., perpetua permutatione, habent *et plausibile* (de Guelf. 2 vid. Append.), Zumptius e Guelf. 1. edidit *atque etiam plausibile*, quum tamen nullus sit orationis adscensus sed translati vocabuli ad proprium adiunctio, quæ semper simplici particula fit. Gravior est corruptela (neque enim aliter appellare possum) ex hoc codice et Stephaniano illata in Act. I, 4, 12, ubi vulgo erat *quam iste per triennium ita vexavit ac perdidit*, consentientibus codd. Guelf. 2 et Leid. et edit. Lamb. Asconioque in lemmate adnotationis, Zumptius autem edidit: *vastavit, vexavit ac perdidit*, coniunctione verborum non uno modo vitiosa; nam et *vastare* est verbum diversæ et generalis significationis, ut in hoc coacervatione et adscensu orationis locum, præsertim primum, tenere non possit; effectus vexandi et perdendi est vastitas regionis; et peccatur in consuetudinem Latini sermonis huius ætatis perpetuam, qua in huiusmodi orationis forma sive ea vera est diversorum enumeratio sive rhe-

---

1) Omitto locos duos, ubi non interpolationem, sed scripturæ menda huius codicis Zumptius probasse videtur. Lib. I, 5, 13 edidit: *de iure enim libertatis et civitatis suum putat esse iudicium et ratione putat*; reliqui *recte putat*; commutantur hæc alibi quoque; sed *ratione* est *considerate et cum iudicio* (contrarium *temere*); ubi probatur simpliciter, quod quis facere sentireve dicitur, quæ sit legitima forma, perspicitur ex Verr. lib. III, 72, 168 *ferendum non putant, et recte non putant*; adde V, 44, 115 et de Finib. II, 8, 23. In altero loco Act. I, 10, 29 quem locum habeat præsens tempus in consideratione rei futuræ inter longam seriem futurorum, sane non video.

torica coacervatio, dummodo æqualia sint et una serie procedant membra [1]), nunquam extrema membra particulis coniunctivis *et*, *atque*, *ac* vinciuntur, prioribus dissolutis. Quam regulam qui negant observatam esse, quia nulla eius sit causa necessaria, næ illi, quomodo sermonis usus constituatur, ignorant; nam quum notiones huiusmodi seriei ubique coniunctæ animo concipiantur, tamen in iis efferendis usu fit, ut in aliis linguis ad eam coniunctionem significandam ubique particula repetatur, ut in Hebræa, in aliis, omissa ante, extremis interponatur, ut fere in nostris, in aliis et asyndeton sit et particulæ repetitio; is usus quia nulla naturæ sic loqui iubentis necessitate constat, sed ipsa vi consuetudinis, qua nititur intellectus, mutari sensim in singulis linguis potest. Sed apud antiquos Latinos, Ciceronis ætate et aliquanto post, certe ab ipso Cicerone, variatum non esse, non tam infinita exemplorum observatæ legis multitudine efficitur, quam quod, in quibus locis variatum esse videtur, ii aut ad aliam formam pertinent, non ad hanc æqualium enumerationem, aut manifesta mendi sunt, magnam partem optima auctoritate emendandi. Qua de re quæ sæpius sparsim adnotavi, sub unum conspectum adducam. Non attendi ita ad hanc tam minutam rem in omnibus Ciceronis scriptis, ut nulli me loci fugerint, sed in orationibus Verrinis, duodecim, quas ante biennium edidi, selectis, in iis præterea, quæ sunt pro Cluentio, Plancio, Sestio, Caelio, Cornelio Balbo, in Vatinium, de provinciis consularibus, tum in libris de oratore et, quem nuper percurri, Catone, fragmentis quoque, nihil me prætermisisse puto. Verrinarum quatuor locos in epist. ad Orellium p. 38 indicavi, quorum tres summo consensu omnium bonorum codicum ego et Zumptius emen-

---

1) Sic enim dudum huius legis fines constitui in Append. crit. disput. de Ascon. p. 8. cfr. Haud. Tursell. II p. 470. Spaldingii errorem positum fuisse in eo, quod usum particulæ adiunctivæ et colligentis *que* non segregarit, dixi Ep. ad Orell. p. 39. Zumptius de ea consuetudine ipse post Spaldingium ceteros admonuit, sed rem paulo minus firmiter comprehendit.

davimus, etiam aliis de causis emendationis egentes; quartum quum mendosum esse aliis vestigiis ostendissem coniecturaque emendassem, quia in extrema parte libri primi nulli erant boni codices, Zumptio violentius paulo tentante, nunc meam emendationem cod. Vatic. ita confirmavit, ut ex eo, quod scribi volueram *summo pudore et summo officio*, tantum particulam detraheret. Quintum locum ex Act. I, 18, 55, ubi est *interrogando, argumentis atque oratione*, in Append. disput. de Ascon. p. 35 posui et perspicuis rationibus, quam sit mendosus, quod etiam Hotomanus senserat et Garatonius, quamque necessario ob sententiam tollendum vocabulum *interrogando*, ostendi, eamque disputationem non possum non iudicare plane confirmari Zumptii contra Hotomanum vulgatam scripturam tuentis argumentis; nam ita disserit, ut, si vera ea esset, Cicero in media criminum singulorum explicatione, quæ argumentis orationeque *perpetua* fieret, interrogasse testes putaretur et id fecisse *antequam testes ad crimen accommodaret.* Satis aperte Cicero in duas partes actionem distribuit, alteram argumentis et oratione comprehensam, priorem, alteram subsequentem, testium interrogationem [1]). In duodecim illis orationibus tres erant huius generis loci, quorum primum, qui exstabat in Catil. II, 13, 29, ipsum Zumptius in append., animadversa insolentia scripturæ a se inductæ, ad eam tuendam attulit; ibi pro *precari, venerari atque implorare* edidi *precari, venerari, implorare* secutus et codicem aliquem et C. Stephanum et editiones an. 1472 et 1480 [2]). In Catil. IV. autem c. 2, 3, ubi erat *exanimata*

---

1) De adnotationibus quibusdam ex margine aut spatiis interlinearibus in textum omnium codd. huius partis receptis infra dicam. Causam falso explicandi et deinde interpolandi ostendi esse in eo, quod sequitur inverso ordine coniunctim: *interrogandi facultas, argumentandi dicendique.*

2) Iure ceteroquin Zumptius ad V, 5, 11, commemorato loco Catil. II, 4 extr., quem ego quoque in mea editione notavi, "in Catilinariis, inquit, multo plura sunt, quæ merito offendant". Faciunt non recte, qui in rebus huius generis dirimendis libenter iis scriptis utuntur, quæ ad codices bonos minime exacta sunt.

uxor, abiecta metu filia et parvulus filius, ex cod. Erfurtensi et ex iisdem veteribus editionibus *et* adieci ante *abiecta*; necessario, quod fit particula addita, in singulis membris magis insistitur; ostendunt adiecta ab oratore participia. In eiusdem orationis c. 4, 8 quam necessaria propter alias caussas esset Lambini unam literam duplicantis emendatio (*et dignas scelere* pro *et digna scelere*, ut a *sancit* novum membrum oriatur), ostendi in comm. acad. de emend. locorum aliquot Cic. oratt. (1831) p. 32. Nam pro Mil. 33, 91 tantum admonendi erant lectores, ne vocabulum *singulari* divellerent a *fortuna*. In reliquis illis orationibus omnibus unum memini esse, quod contrarium videatur, exemplum pro Sest. 65, 137, ubi pro eo, quod legitur, *a bonis viris, sapientibus et bene [a] natura constitutis*, ex edit. Hervag. et codd. scribi debet: *a bonis viris et sapientibus et bene [a] natura constitutis*. In libri I. de oratore c. 43, 194 (*quum verus, iustus atque honestus labor honoribus, præmiis, splendore decoratur*) quid sit pravi, expositum est meo admonitu in Henrichsenii mei adnotatione, qui quod ex codicum varietatibus nihil eo loco concludi posse dicit, quia omnes ex uno Laudensi fluxerint, id tamen concluditur, non constare, quid in illo fuerit. Occultaret partem mendi, qui ex quattuor codd. scriberet *verus et iustus atque honestus*. Catonis nullus est locus in hoc genere mendosus in editionibus, etsi c. 19, 67 vel boni codices in illis *Mens enim et ratio et consilium* prius *et* ob similitudinem compendii vocis *enim* omittunt [1]). Fragmentum denique Cornelianæ orationis apud Asconium, in quo editur nunc *diuturnæ captivitatis, turpitudinis et servitutis*, primo vocabulo nec Ciceroniano nec apto, quasi omnes gentes captivæ prædonum fuerint, in edit. autem prima est *cupiditatis, turpitudinis* &c. satis, opinor, manifesto interpolatum est (cfr. Append. Ascon. p. 7). Ex aliis scriptis

---

1) In eiusdem libelli 13, 44 (*vinolentia et cruditate et insomniis*) perspici ex minus bonis codd. potest librariorum ad priorem particulam omittendam proclivitas.

succurrit nunc locus Philipp. VII, c. 7, 20, memoratus a Krarupio (Observ. crit. in Cic. lib. de re publ. Haun. 1827 p. 6,) quum contra Maium scripturam manus prioris codicis Vat. in lib. I. de rep. c. 7 ab huiusmodi secundæ manus corruptela tueretur; illic e Vatic. restitutum est *monebo, prædicam, denuntiabo*, *testabor*, quum esset *et testabor*. Etiam in orat. pro Mil. 27, 74 quod erat *materiem*, *calcem*, *cæmenta atque arma*, optimorum codicum auctoritati cessit. Itaque restat et repugnat unus, quem nunc memoria teneam, locus de Offic. III, 20, 81 et ipse a Krarupio excitatus, ubi est *species*, *forma et notio viri boni*; nam quod Orellio vocabula *forma et notio* pro uno membro alteri adiuncta commode intelligi posse videntur, præterquam quod hæc ipsa per asyndeton inæqualis compositio inusitata est, nec *forma* et *notio* magis, quam *species* et *forma* coniuncta sunt, immo minus, nec quidquam inest præter unius rei, quam uno et proprio vocabulo comprehendere non poterat, circumlocutionem. Alterum ex prioribus vocabulis, quibus Cicero ea, quæ hic est, significatione promiscue utitur, tollendum est[1]). Laudat tamen Zumptius in appendice præter illum ex orat. II in Catil. locum alterum de Senect. 10 *agris*, *vicis atque oppidis*; verum is locus neque in illo libro legitur neque reperiri a me potuit. Locorum ab hoc genere alienorum ac specie tantum similium exemplum posui in append. disp. de Ascon. p. 8 Divinat. in Cæc. 22, 72, ubi uni notioni rhetorice tribus verbis sine coniunctione expressæ *(conservare, tueri, confirmare)* respondet altera uno comprehensa (*ac recuperare*). Addo de Orat. II, 38, 159 ubi in his verbis *exile, aridum, concisum ac minutum*, particula duas tantum extremas voces unam notionem a prioribus diversam complexas iungit; similis est, quem Handius citat, locus in Paradox. 6, 2, 49 *signa*, *tabulas*, *supellectilem et vestem infinite concupiscenti*; coniunxit

---

1) Victorii *in ea specie*, nisi mendum typographicum est, prorsus nec Latinum est nec sensum habet.

tanquam a superioribus, quæ artis erant, diversa et unius generis, quæ ad vitæ domesticæ usum et elegantiam spectabant. Omnino ubi quattuor sunt membra, sæpe singula paria per se contraria efferuntur, velut apud Tacitum Ann. I, 2 *invidiam, misericordiam, metum et iras.* Satis igitur, opinor, constat, ut iam ad Verrinarum codicem redeamus, non scripsisse Ciceronem in eo loco, a quo digressi sumus, *vastavit, vexavit atque perdidit.* Ac videor etiam caussam interpolationis deprehendisse; nam nescio quo modo notabilem visam esse nonnullis hoc loco *vexandi* vocem cum *perdendi* coniunctam, ex Asconio constat. Ei igitur adscriptum est illud *vastavit.* Atque hæc propria erant codicis Guelferbytani prioris aut cum uno simili communia; alia sunt, in quibus cum deteriori familia codicum a reliquis melioribus addendo discedit; in quo qualis sit, iam ex Divin. 19, 61 fere intelligi potest, ubi edunt nunc omnes *ego, si superior ceteris rebus esses, hanc unam ob causam te accusatorem repudiari putarem oportere,* sed apud Stephanum et in cod. Leid. et Guelf. 2 est *omnibus rebus,* quod quin verum sit, nemo admonitus dubitabit, qui attenderit ad pervagatam consuetudinem, qua, ubi toti pars ita subiungatur, ut eam excipiendam esse per se pateat, ea exceptio non significetur addito ad id, quod est *totus* sive *omnes*, aut ad universale nomen, eo quod est *reliquus* sive *ceteri*, librariorumque hunc defectum supplendi et, quod falso dici iis videbatur, corrigendi studium. Dixi de ea re in Emendatt. in Cic. libb. philosoph. p. 197 propter locum Lælii c. 2, 7, ubi eiusmodi supplemento utuntur librarii, laudavique auctores Gronov. et Drakenb. ad Liv. III, 25, 4[1]). Iam Guelf. prior *omnibus* retinuit, sed, quod deteriores substituerunt, addidit (*omnibus ceteris rebus*). Plane autem cum deterioribus consentiens et a Zumptio probatus obstitit, quo minus ceterorum meliorum auctoritate addi-

---

1) Similis est frequentissima omissio eius quod est *alius* quum dicitur *quum multi, tum L. Crassus* (pr. Cluent. 51, 140), *tum multa, tum etiam hoc* (Verr. IV, 66, 147), *quum sæpe, tum* infinitaque eiusmodi.

tamentum tolleretur manifestissimum ex Divinat. 4, 15, ubi nemo non sentiet, post ea, quae proxime praecedant (*At enim cur a me potissimum hoc praesidium petiverunt?*), quantopere vis rhetorica posita in arguta contrariorum relatione, quae ipsa brevitate feriat aures (*petissent necne, cur petissent*), imminuatur trium verborum in priore membro adiectione (*petissent a me praesidum necne*), quae in codd. Steph., Leid., Guelf. et edit. Lamb. omittuntur. (Cfr. Append. Ascon. p. 32.) Itaque haec, quamquam deest Guelferb. prioris auctoritas, non minus hinc tollentur, quam ea accedente sublata similia sunt (a me quoque damnata Append. Ascon. p. 33) ex Act. I, c. 3, 7, c. 15, 43, et ex Lib. I, c. 12, 32, c. 34, 87 (in quo extremo loco Zumptius in append. demum deleri iubet, exspectato Guelf. I consensu), nec repugnabitur, quo minus eisdem codd. obediatur in aliquot singularum vocum additamentis tollendis. Notavi (Append. ad Ascon. p. 32.) Divin. 4, 11, ubi de Guelf. 2 vid. Zumpt. append., *diu*, et 5, 19 *fuit*, cuius addendi causa patet; in c. 7, 23 (*is*) obstat Arusianus Messus (p. 244 Lindem.). Addo Divin. 17, 55 *omnia* et Lib. I, 36, 91 *eum*; simul Lib. I, 10, 28 ex omnibus melioribus codd. (de Gu. 2 vid. Zumpt. app.) restituendum esse aptum celeritati narrationis asyndeton *argenti*, *vestis stragulae*, et c. 29, 72 tollendum esse supplementum Guelf. prioris *esse*. Contra Act. I, 8, 21 restituenda est vox *pueros*, nullam aliam ob caussam omissum, quam quod posset brevius quoque et generalius dici; librarius *homines*, summum *servos*, non tam Latine *pueros* addidisset. Iam opinor, nihil impediet, quo minus ex solo Guelf. 2, a quo dissentire Leidensem ex silentio concludere non licet, restituatur Act. I, 11, 32 *capiam fructum ex accusatione*; *perficiam* &c., (cfr. Emendatt. in Cic. libros philos. p. 182) et Lib. I, 38, 97 ex Guelf. 2 et Lagomars. 29 *cognosset* pro vulgato *cognosceret*; non quod hoc loco ferri hoc nullo modo possit, sed quod perpetua est librariorum alterum illud cum hac forma commutandi consuetudo, propter quam ad eandem correctionem in c. 7, 18,

ubi necessaria est, faciendam sufficit auctoritas solius istius codicis Lagomarsiniani [1]).

Sed hæc minuta sunt; restant alia paulo, ut in parvis, graviora. Sed eam disputationis partem in aliud tempus differre commodius videtur, præsertim quum non diu id exspectaturi simus. Nunc ad ea, quorum hæc causa prolusimus, dimittendi lectores sunt et eorum, qui critica hæc nostra ad se pertinere negant, ratio habenda. Facultas enim medica universitatis nostræ duos viros doctissimos et experientissimos, quorum scriptis quoque disputandoque suæ artis peritia comprobata est, summis, quos in hoc genere tribuere potest, honoribus ornare decrevit. Eorum alter, *Joannes Baltzar Hornbeck*, quod statim a disputationis actu ad insulas Danicas in India Occidentali muneris publici causa profectus est, sollemni ritu honores præsens accipere non potest, quos tamen ei tributos esse, publice renuntiari placet, in alterum, *Carolum Petrum Matthiam Hansen*, more maiorum conferendi sunt eiusque rei causa coetus academicus indicendus. De vita sua et studiis *Hornbeckius*, V. Exper., ipse perscribere, quæ hic cum lectoribus communicari possent, festinatione proficiscendi prohibitus est; itaque ea fere promemus nostris verbis, quæ ipse antea ad facultatem medicam scripsit, quum licentiam pro gradu doctoris disputandi ambiebat; doctissimus *Hansen* ipse de suis rebus dicet.

---

1) Ex iisdem tribus melioribus codd., dissentiente Guelf. I, in Divin. 17, 55 scribendum puto *ut præfecto illi religionem Veneris nomine obiiceret*; vulgatam scripturam *religionem Veneris nomenque*, quam vel exquisitior verborum ordo tueri videri queat, in eo vitiosam iudico, quod graviori *religionis* vocabulo inane ac leve *nomen* superaddit. Ignoratum credo, quid esset *religionem obiicere*, ideo *religionem Veneris* intellectam, inde mutationem ortam. Ex Gu. I, ut hoc extremum addam, Zumptius in libr. V, c. 47, 125 eam scripturam induxit, qua vulnus vix occultetur, nedum sanetur. Nam nec verborum positus permittit, ut genitivi illo loco a voce *ius* pendeant, nec dicitur *obtinere hoc ius cognationis* &c., *ut deprecemur* pro eo quod est *iure cognationis obtinere.*

I.

Joannes Baltzar Hornbeck natus est in hac urbe die nono mensis Januarii a. MDCCC. Patrem habuit Christianum Hornbeck, vectigalis molarii exactorem regium, qui mortuus est; mater Karen Hornbeck, patrio cognomine Bönnick, etiamnum vivit. Puer quum in ludo primæ ætati apto elementa literarum discere coepisset, scholæ Metropolitanæ traditus est; inde ad academiam dimissus est a. MDCCCXIX et in examine, quod adolescentes civitatem academicam ambientes subeunt, laudabilis declaratus. Eundem eventum examen philologicum et philosophicum anno proximo habuit. Deinde studiis chirurgicis et medicis se dedit; historiam naturalem tradentes Reinhardt, Hornemannum, Wad iam ante, quam civibus academicis adscriptus est, audiverat. A. MDCCCXXIII mense Aprili ex examine chirurgico ita discessit, ut prima nota cum præcipua laude dignus iudicaretur. Mense Maio eiusdem anni chirurgus superior factus est Dianæ, navis regiæ ex earum genere, quas Corvettas appellant, quæ tum ad insulas Danicas Indiæ Occidentalis mittebatur. E quo itinere quum mense Augusto a. MDCCCXXIV redisset, mense Februario proximi anni in examine medico laudabilis iudicatus est. Eiusdem anni mensis Augusti die secundo, ut licentiam summos in medicina honores capessendi consequeretur, publice ad disputandum proposuit a se editas Annotationes in dysenteriam, cum descriptione epidemiæ navalis huius morbi in India occidentali observatæ. *Die sexto mensis Septembris eiusdem anni nuptiis sibi iunxit Lovisam Elisam Tugendreich Gouentius, cuius pater medicus Sirамporæ fuerat. Eodem mense ad insulam Sancti Ioannis in India occidentali profectus est, ut artem ibi exerceret. Anno MDCCCXXVI quum physicus regius insulæ Sancti Thomæ, Block, mortuus esset, primum ad eius muneris temporariam administrationem vocatus sedem suam in insulam Scti Tho-*

mœ transtulit, mox mense Decembri a. MDCCCXXVII a rege ipsum munus certo ei demandatum est. Quum anno MDCCCXXXI valetudinis firmandæ causa Hauniam profectus esset, ipsis Kalendis Octobribus huius anni ad summos in medicina honores consequendos de sanguine dissertationem physiologicam, adiectis annotationibus pathologicis, *publice defendit, statimque post ad munus suum obeundum hinc discessit.*

II.

Natus sum CAROLUS PETRUS MATTHIAS HANSEN anno MDCCCIII die XXV^{mo} m. Novembris in pago Fioniæ Hjallese, patre Joanne Christiano Hansen, tunc temporis parochiarum Dalum et Sanderum sacrorum ministro secundario, in præsenti vero sacrorum parochiarum Scheebye et Otterup antistite, matre vero Ingeborg Petronelle Andresen. Primis litterarum tirociniis ductu et auspicio optimi patris domi positis, quo vitam umbratilem cum publica hominum frequentia paullatim commutarem, disciplinæ scholæ Othiniensis anno MDCCCXX traditus sum, quartanorumque ordini adscriptus. Per biennium usus sum præceptis magistrorum egregiorum hujus scholæ, inter quos pii gratique animi causa hic nominare liceat J. Saxtorph, scholæ Rectorem, et, qui proximo post eum fungebatur munere, P. Bergenhammer. Anno MDCCCXXII ad Universitatem almam nostram Hauniensem dimissus, post examen, in quo in artibus liberalibus laudabilem *progressum censoribus probasse existimabar, numero civium Academicorum adscriptus sum. Anno sequente examen philologico-philosophicum sustinui, et cum ab eo quoque* cum laude *discessissem, studio artis ïatricæ totum me dedidi. Ad quod colendum ut otio necessario fruerer, curavit beneficentia et dilectissimi patris et almæ nostræ Universitatis, cum stipendium Communitatis Regiæ et domicilium in Collegio Walchendorphiano*

concederetur. Contigit quoque mihi, ut in variis artis medicæ partibus duces doctoresque haberem principes viros, quorum inclytis nominibus civitas nostra tum splendebat et adhuc splendet, quorumque egregiam institutionem, summam liberalitatem, benigna judicia de me lata, quæ fieri non potuit, quin jam volentem et cupientem magis etiam exhortarentur et incitarent, gratus, quoad vivam, recordabor. Studio indefesso igitur frequentavi virorum illustrissimorum, qui et in Universitate et in Academia Regia Chirurgica artem Hippocraticam tradunt, doctissimas scholas, et per quadriennium audivi Schumacher, Saxtorph, Herholdt, Bang, Howitz, Colsmann, Fenger, Withusen, Callisen, Thal, viros illustrissimos, singulas artis nostræ partes docentes, nec non ex scholis Chirurgorum secundariorum Schiött, Henck, Möller, Van Deurs, optimos fructus reportavi, haud tamen neglectis scholis scientiam naturæ proprie spectantibus, Hornemanni nimirum, Örstedii, Schouwii, Zeisii, qui omnes de me optime meruerunt. Ut practicam exercitationem, medico quam maxime necessariam, assequerer, nosocomia tempestive petii. Chirurgiam in instituto, quo nullum est melius, Nosocomio Regio Fredericiano, edocebar, duce Withusen, viro clarissimo, neque non morbis internis, qui vocantur, decumbentes in medica parte eiusdem nosocomii duce Bangio, viro illustrissimo, partim tractari vidi, partim ipse tractavi. Eodem tempore frequenter institui sectiones cadaverum humanorum et in Theatro anatomico Universitatis, et in Regia Academia Chirurgica. Sic præparatus anno MDCCCXXVII examini medico-chirurgico et anatomico-practico in Academia Regia Chirurgica me submisi, in quo dignus existimatus sum, qui primam notam et quidem præcipuam obtinerem (Förste Karakter med Udmærkelse). *Hoc examine absoluto, licuit mihi etiam artem obstetriciam exercere in nosocomio puerperarum, quod moderatore Saxtorph, V. Ill., in hac urbe viget. Interea anno MDCCCXXVIII ad partes chirurgi provincialis in*

insulis Færöensibus gerendas constitutus sum, quo munere, quamquam et ipso, et remotis illis insulis, et imprimis incolis, ob eximiam fidem et integritatem vitæ mihi carissimis, admodum delectabar, modo per annum et dimidium functus sum; cum enim et distantia et cura negotiorum mihi mandatorum studia litterarum tantum, quantum animus erat, colere non sinerent, in Daniam reverti; nunquam vero memoria mihi excidet lætissimum illud tempus, per quod in rupibus illis, mihi carissimis, vitam a curis et turbis vacantem degere licuit. Brevi postquam Hauniam reversus sum, munus publice Docentis in Academia Regia Chirurgica mihi oblatum est, quod lætus capessivi; a quo inde tempore commilitonibus iunioribus scholas anatomicas habui, nec non artem deligatoriam docui, eiusque exercitia practica institui. Optima vero sese mihi obtulit sors, cum a viro illustrissimo I. S. Saxtorph, Regi a consiliis status, Professore ordinisque Danebrogici Equite, ut ei a manu essem, vocarer; quo facto licuit mihi et practicam nostram artem duce doctissimo et experientissimo viro uberius percolere et quotidiana eius consuetudine familiari uti. Egregie sane de me meruit optimus ille vir, ob paternum erga me animum ad cineres usque colendus, tantamque eius in me beneficiorum multitudinem gratus agnosco, ut de iis silere potius quam pauca dicere oporteat.

Studiis meis ita progredientibus, anno MDCCCXXX examini medico-chirurgico rigoroso me obtuli, in quo omnium consensu laudabilis *judicatus sum. Anno insequente mandatæ sunt mihi partes medici Orphanotrophei Regii Hauniensis, quibus adhuc fungor. Omnes horas, a variis hisce negotiis mihi subsecivas, in studiis artis Apollineæ uberius excolendis consumsi, neque omisi Facultati Medicæ Universitatis nostræ specimen dare, ex quo appareret, si quid in arte profecissem. Sic itaque conscripsi dissertationem, cui inscriptum est:* Conspectus remediorum et operationum hæmorrhagiis externis coercendis inservientium Particula

prior, introductionem, caustica, styptica et absorbentia continens; *qua die XII^{mo} mensis Maii hujus anni publice defensa, Licentiati gradum, annuente amplissimo Medicorum Ordine, sum consecutus. Hujus opusculi alteram denique partem,* Conspectum compressionis, ligaturæ, transscissionis arteriæ totalis atque torsionis *exhibentem, die XVII^{mo} Novembris insequentis permissu ejusdem Ordinis amplissimi publico eruditorum examini modeste submisi, ut summos in arte medica honores rite impetrarem.*

Die igitur XXIX mensis Decembris hora XII in auditorio domus regiæ *JOANNES SYLVESTER SAXTORPH*, Medicinæ Doctor, Chirurgiæ et Artis Obstetriciæ Professor Publicus Ordinarius, Regi a Consiliis Status, Ordinis Danebrogici Eques, Facultatis Medicæ hoc anno Decanus, habita oratione de cathedra academica, viros experientissimos, quorum vitæ studiorumque cursus expositus est, alterum *CAROLUM PETRUM MATTHIAM HANSEN*, præsentem solemni ritu medicinæ doctorem creabit et renuntiabit, alterum *JOANNEM BALTZAR HORNBECK* eiusdem doctoratus dignitatem et iura legitime consecutum esse publice testabitur.

Huic coetui ut splendorem celebritatemque addere velint medicinæ artiumque liberalium cultores rerumque academicarum studiosi, rogamus invitamusque.

Dabamus Hauniæ d. XX m. Decembris a. MDCCCXXXII.

SUB UNIVERSITATIS SIGILLO.